

DE RERVM NATVRA VI

immemorable (per) spatium transire solerent.
 haud igitur mirumst si parvo tempore saepe
 tam magnis †montis† tempestas atque tenebrae 490
 coperiant maria ac terras impensa superne,
 undique quandoquidem per caulas aetheris omnis
 et quasi per magni circum spiracula mundi
 exitus introitusque elementis redditus exstat.

Nunc age, quo pacto pluuius concreseat in altis 495
 nubibus umor et in terras demissus ut imber
 decidat, expediam. primum iam semina aquai
 multa simul vincam consurgere nubibus ipsis
 omnibus ex rebus pariterque ita crescere utrumque,
 et nubis et aquam quaecumque in nubibus exstat, 500
 ut pariter nobis corpus cum sanguine crescit,
 sudor item atque umor quicumque est denique membris.
 concipiunt etiam multum quoque saepe marinum
 umorem, veluti pendentia vellera lanae,
 cum supera magnum mare venti nubila portant. 505
 consimili ratione ex omnibus amnibus umor
 tollitur in nubis. quo cum bene semina aquarum
 multa modis multis convenere undique adaucta,
 confertae nubes (umorem) mittere certant
 dupliciter; nam vis venti contrudit et ipsa 510
 copia nimborum turba maiore coacta
 urget (et) e supero premit ac facit effluere imbris.
 praeterea cum rarescunt quoque nubila ventis
 aut dissolvuntur, solis super icta calore,
 mittunt umorem pluvium stillantque, quasi igni 515
 cera super calido tabescens multa liquescat.
 sed vemens imber fit, ubi vehementer utraque
 nubila vi cumulata premuntur et impete venti.